

subsistit in Persona Verbi¹. Ex qua explicatione vocis *individuae*, quae in definitione *personae* adhibetur, sequitur, ut ipsa sit *incommunicabilis*, scilicet, ut sit substantia singularis; insuper ut sit in se *tota*, sive sui iuris, sibi que ipsi propria, et integrum suarum operationum principium; denique ut non possit ita *assumi*, ut *trahatur in personalitatem* alterius². Quae quidem, ut inquit s. Bonaventura, ipsi ethymologiae nominis *personae* respondent; siquidem, « persona dicitur quasi per se unum, per se autem unum proprie dicitur unum, quod est omnino distinctum ab aliis, et in se indistinctum³ ». At vero, « non est contra rationem personae communicabilitas assumptis⁴ »; scilicet nulla repugnantia in eo est, quod Persona Divina humanam naturam assumpsit; nam « persona dicitur incommunicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis praedicari; nihil tamen prohibet plura de persona praedicari. Unde non est contra rationem personae sic communicari, ut subsistat in pluribus naturis⁵ ».

3^o Dicitur *rationalis*, ut distinguatur *persona* a *supposito*; non enim proprie dicimus *personam* equi, aut lapidis, sed *personam* vel *Divinam*, vel *Angelicam*, vel *humanam*. Unde *persona* nihil addit supra *suppositum*, nisi aliquam dignitatem et excellentiam petitam ex natura intellectuali.

XLVI. SUPPOSITALITAS—PERSONALITAS. Ipsa *substantia* in substantiis ratione destitutis, *suppositalitas*, vel simpliciter *subsistentia*, in rationalibus autem *personalitas* proprie vocatur. *Personalitas*, seu generatim *subsistentia*, positiva et negativa dictione exprimi potest. Quemadmodum enim in figura exprimenda interdum positiva dictione utimur, puta cum dicimus eam esse corporis terminum; interdum negante, e. g., cum dicimus eam esse negationem ulterioris extensionis in corpore; ita per *subsistentiam* dicimus rem esse completam; et tunc positiva dictione exprimitur, nam substantiae complementum dicitur; vel per *subsistentiam* negamus aliquid ens esse iuris alieni, seu subsistere in alio velut perfectiori; tumque eam negativa dictione explicamus; est enim, ut ita dicamus, negatio *commu-*

¹ Vid. p. 338-339.

² S. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. V, q. II, a. 1 ad 2.

³ *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, q. 1 *resol.*

⁴ S. Thom., *loc. cit.*—⁵ 3, q. III, a. 1 ad 2.

nabilitatis in substantia. At licet *subsistentia* negative exprimatur, tamen eam in creatis esse aliquid positivum a natura distinctum omnes Thomistae ex communi sententia docent. Scotus e contrario in eam sententiam concedere videtur, quae statuit *subsistentiam* nihil positivum addere naturae. Utrum vero distinguatur ut res a re, an sicut modus a re, inter ipsos Thomistas non convenit. Illud autem omnino certum est, in Deo naturam et *subsistentiam* reipsa non distingui, Deus enim est ipsa Deitas¹.

XLVII. SYNCATEGOREMATICE — CATEGOREMATICE².

XLVIII. SYNONIMUM NOMEN — HOMONYMUM³.

S

EFFATA

I. SAPIENTIS EST ORDINARE. Equidem si quis domum bene ordinatam intraret, ex ipsa ordinatione domus, ordinatoris sapientiam colligeret. « Ordinare, inquit s. Thomas, sapientis est. Ordinatio enim aliquorum fieri non potest, nisi per cognitionem habitudinis et proportionis ordinatorum ad invicem, et ad aliquid altius, quod est finis eorum; ordo enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem. Cognoscere autem habitudines, et proportionem aliquorum ad invicem, est solius habentis intellectum; iudicare autem de aliquibus per causam altissimam sapientiae est; et sic oportet quod omnis ordinatio per sapientiam alicuius intelligentis fiat. Unde et in mechanicis ordinatores aedificiorum, sapientes illius artificii dicuntur⁴ ».

II. SECUNDUM CONDITIONEM CAUSAE PROXIMAE ATTENDITUR NECESSITAS VEL CONTINGENTIA EFFECTUS. Hoc est: A causa necessaria semper procedit effectus necessarius, cum illa proxima est. Quod si causa suprema sit necessaria, causa proxima autem contingens, tunc effectus potest esse con-

¹ Vid. s. Thom., I, q. III, aa. 3 et 4.

² Vid. p. 58, et, *Terminus categorematicus—Syncategorematicus*, litt. T.

³ Vid. *Aequivoco—Analogico—Univoce*, p. 14.

⁴ *Cont. Gent.*, lib. II, c. 24, n. 3.

tingens. Id sequenti exemplo illustrat s. Thomas: « Sicut germinatio plantae est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus solis, qui est causa prima, sit necessarius ¹ ». Exinde illud infert laudatus Doctor, quod licet scientia Dei, quae est causa prima, sit necessaria, tamen scita a Deo possunt esse contingentia propter causas proximas contingentes ².

III. SECUNDUM ILLUD, QUOD REI COMPETIT PER SE, IUDICATUR DE IPSA, NON AUTEM SECUNDUM ILLUD, QUOD EI COMPETIT PER ACCIDENS. Hoc effato s. Thomas utitur, ut ostendat non esse aliquid bonum mala esse vel fieri, etsi ea, quae in se mala sunt, ordinentur ad bonum. Etenim malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens ³.

IV. SEMPER ID, QUOD EST PER SE, PRIUS EST EO, QUOD EST PER ALIUD. Hoc effatum consequitur ex illo: *Quod est per aliud, reducitur ad illud, quod est per se, tamquam in prius* ⁴.

V. SEMPER ID, QUOD SPECTAT AD NATURAM, EST PRINCIPIUM IN QUOLIBET. Natura enim cuiuscumque rei, cum sit essentia ipsius, est primum in unoquoque ⁵; hinc sicut ipsa est fundamentum omnium, quae rei conveniunt, ita quod spectat ad ipsam, est principium reliquorum. Exinde fit, ut ex cognitione primorum principiorum, quae est naturalis, procedat cognitio conclusionum; atque ex naturali volitione ultimi finis, nempe beatitudinis, oriantur aliae volitiones; cum quidquid homo vult, velit propter finem ⁶.

VI. SEMPER INVENITUR UNUM UT PRINCIPALE ET DIRIGENS IN MULTIS ORDINATIS AD UNUM. Hoc Aristotelis effatum evincit s. Thomas ex eo quod *multi per se intendunt ad multa, unum vero ad unum*. Hinc multa nequeunt recte ordinari ad unum, nisi per unum. Inde ratio redditur, cur « socialis vita multorum esse non posset, nisi aliquis praesideret, qui ad bonum commune intenderet ⁷.

VII. SENSIBILE IN ACTU EST SENSUS IN ACTU. Huius pronuntiati ratio est, quia « ex hoc aliquid in actu sentimus, quod sensus informatur in actu per speciem sensibilis ⁸ ». Quocirca « sensus in actu est sensibile in actu, non ita quod ipsa vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis, quae

¹ I, q. XIV, a. 13 ad 1. Cf p. 61-62.

² *Ibid.* — ³ I, q. XIX, a. 9 ad 1. — ⁴ Vid. p. 306.

⁵ Vid. p. 217. — ⁶ I, q. LX, a. 2 c.

⁷ I, q. XCVI, a. 4 c. — ⁸ I, q. XIV, a. 2 c.

est in sensu, sed quia ex utroque fit unum, sicut ex actu, et potentia ¹ ». Eadem ratione explicandum est, *Intelligibile in actu est intellectus in actu* ².

VIII. SENSUS EST SINGULARIUM. Equidem quidquid actu sentitur, reipsa singulare est. E. g., sensu visus apprehenditur hic, vel ille color, non vero color in communi. Id paucis exponit s. Thomas: « Sensus non est cognoscitivus nisi singularium. Cognoscit enim omnis sensitiva potentia per species individuales, cum recipiat species rerum in organis corporalibus ³ ». Quocirca quae sentiuntur, non possunt esse universalia. Etenim quod sentitur, hoc aliquid est, nempe unum est, et numero definitum, atque hic et nunc est, seu certo loco et tempore circumscriptum est; at universale non est hoc aliquid, neque hic, et nunc est, quia semper est et ubique ⁴. Ergo universale non sentitur. Attamen, ipsa sentiendi facultas et natura ad universum suum obiectum directa est. E. g., visus in universum est ita comparatus, ut possit quemvis colorem percipere, nempe feratur in hoc coloratum sub ratione communi coloris, non quidem sub ratione facta communi per intellectum, sed quasi negative non sub aliqua speciali ratione coloris; idest, ut ait s. Thomas, « non quia visus cognoscit colorem universalem, sed quia, quod color sit cognoscibilis a visu, non convenit colori, in quantum est hic color, sed in quantum est color simpliciter ⁵ ». Item, appetitus sensitivus fertur in appetibilia singularia sub ratione communi, idest non sub aliqua ratione particulari huius, vel illius boni, non tamen sub ratione communi, quae per intellectum facta sit communis. Rursus, ipsa sentiendi facultas, non vero eius actus fertur in rationem communem obiecti modo a nobis explicato. Atque hoc sibi volunt metaphysici, cum sensum esse *rei talis*, non *huius talis* docent; siquidem nomine *sensus* facultatem sentiendi, non vero actum sentiendi denotant.

Effato, quod explicavimus, affine est illud: SINGULARIA COGNOSCUNTUR SENSU. Quod profecto non intelligitur de singularibus spiritualibus; haec enim in sensus non incurrun, licet *per accidens* et per effecta sensibus perci-

¹ *Ibid.*, q. LV, a. 1 ad 2. — ² Cf p. 190.

³ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 66, n. 2.

⁴ Vid. litt. U. — ⁵ 1^a 2^{ae}, q. XXIX, a. 6 c.

pianur: « Cognitio sensus non se extendit, nisi ad corporalia; quod ex hoc patet, quod qualitates sensibiles, quae sunt propria obiecta sensuum, non sunt, nisi in corporalibus; sine eis autem sensus nihil cognoscit ¹ ». Quamquam vero singularia materialia cognoscantur sensu; tamen id non impedit, quominus etiam intellectu cognoscantur; non quidem *directe*, quia intellectus intelligit abstrahendo a materia ², sed *indirecte*, nempe per quamdam conversionem ad phantasmata singularium, a quibus speciem intelligibilem abstraxit ³.

IX. SI NEGATIO NEGATIONIS CAUSA EST, ET AFFIRMATIO AFFIRMATIONIS CAUSA ERIT; ET CONTRA. Hoc intelligendum est de causis, quae omnino et absolute causae sunt: e. g., habere pulmonem, est causa respirationis; non habere pulmonem, non respirandi causa est. Vel, affirmatio multiplicationis materiae est causa multitudinis individuorum; ergo negatio huius multiplicationis, quae est unitas materiae, est causa non multitudinis, nempe unitatis ipsius individui. Non autem intelligendum est de iis causis, quae sunt solae causae illationis. In his enim possumus ex affirmatione antecedentis colligere affirmationem consequentis, e. g., si homo est, sequitur animal esse: sed ex negatione antecedentis colligere negationem consequentis non est tutum; si enim non est homo, non continuo sequitur non esse animal, quia potest equus, aut bos esse, aut quidpiam simile.

X. SICUT MULTIPLICATUR UNUM OPPOSITORUM, ITA DICITUR ET RELIQUUM ⁴.

XI. SICUT SE HABET PROPOSITUM IN PROPOSITO, ITA OPPOSITUM IN OPPOSITO. Intelligendum est, ait s. Bonaventura, dummodo in utroque eadem ratio spectetur, quia unum alteri opponitur. Quocirca, *si benefaciendum est amicis, non sequitur malefaciendum esse inimicis*; quia « amicis benefaciendum est non solum propter illud, in quo repugnant inimicis, verum etiam propter illud, in quo conveniunt, videlicet quia sunt ad imaginem Dei ⁵ ». Et s. Thomas: « Dicendum, quod modus ille arguendi tenet

¹ *Contr. Gent.*, loc. cit., n. 3.

² Vid. p. 187-188. — ³ I, q. LXXXVI, a. 1. — ⁴ Vid. p. 216.

⁵ *In lib. III Sent.*, Dist. XXXIII, a. 1, q. 5 ad arg. Vid. *ibid.*, q. XXVIII, a. 1, q. 3 ad arg.

quantum est ad id, quod convenit opposito, in quantum est oppositum, non autem quantum ad id, quod est commune utrique oppositorum, sequitur enim, si nigrum congregat visum, quod album disgregat; non autem sequitur, quod album sit invisibile, si nigrum est visibile, quia hoc convenit ei secundum colorem, qui est genus utriusque ¹. Quare ex eo *quod peccator generat peccatorem*, inferri non potest, ergo *et iustus generat iustum*. Etenim, « vetustas Adae, quantum ad inferiores vires, et ad ipsum corpus, est communis et iusto, et peccatori, et secundum hoc peccator generat peccatorem. Unde non sequitur, quod iustus generat prolem sine peccato ² ».

Eidem theoremati illud affine est: SI OPPOSITUM EST CAUSA OPPOSITI, ETIAM PROPOSITUM CAUSA PROPOSITI. Quod, monente Seraphyco Doctore, « intelligendum est in his oppositis, quorum utrumque est aliqua natura, et in eis, quae recte sunt opposita, et secundum illud, in quo opponuntur ». Quocirca nequit, e. g., inde argui, quod si « Adae transgressio fuit causa nostrae corruptionis, eius iustificatio et satisfactio fuerit causa nostrae redemptionis ³ ».

XII. SICUT SE HABET PRINCIPIUM IN SPECULATIVIS, ITA SE HABET FINIS IN OPERATIVIS. Nempe, sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhaeret ultimo fini, qui est beatitudo ⁴. Vel, uti iam antea dictum est, sicut ex cognitione principiorum consequitur cognitio conclusionum, ita ex amore ultimi finis consequuntur alii voluntatis actus. Ex quo illud infert s. Thomas, « quod sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta aestimatio de primo et indemonstrabili principio; ita non potest esse simpliciter vera iustitia, si desit ordinatio debita ad finem, quae est per charitatem, quantumcumque aliquis se recte circa aliquid habeat ⁵ ».

XIII. SICUT SE RES HABET AD ESSE, ITA AD COGNOSCI ⁶.

XIV. SICUT SE HABET SIMPLICITER AD SIMPLICITER, ITA MAGIS AD MAGIS. « In omnibus, ait s. Thomas, quae per

¹ *Qq. disp.*, De malo, q. IV, a. 6 ad 6. — ² *Ibid.*

³ *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIII, a. 1, q. 2 ad arg.

⁴ I, q. LXXXI, a. 1 c. — ⁵ 2^a 2^{ae}, q. XXIII, a. 1 c.

⁶ Vid. *Eadem sunt principia essendi et cognoscendi*, p. 113.

se dicuntur, sequitur magis ad magis, si simpliciter sequatur ad simpliciter; sicut calidum calefacit, magis calidum magis calefacit, et maxime calidum maxime calefaciet ». Inde sanctus Doctor colligit *felicitem humanam non consistere in corporeis delectationibus*. Si enim: huiusmodi delectationes « essent secundum se bonae, oporteret quod maxime uti eis esset optimum. Hoc autem patet esse falsum; nam nimius usus earum reputatur in vitium, et est etiam corpori noxius, et similium delectationum impeditivus. Non sunt igitur per se bonum hominis. In eis igitur non consistit humana felicitas¹ ». Subdit vero: « In his autem, quae sunt per accidens, non est necessarium, quod si simpliciter sequitur ad simpliciter, et magis sequatur ad magis; sed solum in his, quae sunt per se. Non enim sequitur, si album est musicum, quod magis album sit magis musicum: sequitur autem, si album est disgregativum visus, quod magis album sit magis disgregativum visus² ». Quare ex eo, quod bonum est causa mali, non sequitur quod *maximum bonum sit causa maximi mali*; siquidem « bonum est causa mali in quantum est deficiens; unde quanto magis est bonum, tanto minus est causa mali³ ».

XV. SIMILE EST SIMILE SIMILI. Scilicet in similibus est mutua similitudo. Attamen, uti monet s. Thomas⁴, hoc intelligendum est tantum de iis quae sunt unius ordinis; « non autem in causa et causato. Dicimus enim quod imago sit similis homini, et non e converso, et similiter dici potest aliquo modo, quod creatura sit similis Deo; non tamen quod Deus sit similis creaturae ». Et alibi: « Idem est aliquid esse alicui simile, quod habere qualitatem illius. Qualitas autem alicuius dicitur quam proprie et plene habet. Contingit autem quandoque quod qualitas illa perfecta est in utroque; unde utriusque dici potest; et secundum hoc in talibus potest dici quod utrumque alteri simile est. Quandoque autem qualitas aliqua est proprie, et plene in uno, et in alio est tantum quae-

¹ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 27, n. 7.

² *Ibid.*, c. 139. Vid. etiam *Qq. disp.*, *De Virt.*, q. II, a. 11 ad 5, et q. IV, a. 1 ad 16.

³ *Qq. disp.*, *De malo*, q. III, a. 1 ad 14.

⁴ I, q. IX, a. 3 ad 4.

dam imitatio illius, secundum aliquam participationem, et tunc illa qualitas non dicitur utriusque, sed eius tantum quod eam plene possidet. Et tunc illud, quod non plene habet, dicitur simile ei, quod plene habet, et non e converso; ut si dicamus, quod pictura est similis homini, et non e converso. Non enim dicitur quod homo est similis suae imagini proprie loquendo¹ ».

XVI. SIMILE NON AGIT IN SIMILE FORMALITER UT SIMILE. Omne enim agens, ut mox dicemus, intendit producere sibi simile; ergo si illud, in quod agit, iam est perfecte simile, cessat finis agendi. Adhaec simile nihil posset efficere circa simile, hoc enim iam haberet illud quod agens ipsi dare posset².

XVII. SIMILE PRODUCIT SIBI SIMILE; seu, OMNE AGENS PRODUCIT SIBI SIMILE³. Hoc verum est, dummodo non obstet dispositio subiecti in quod agitur. Hinc lac album superfusum ligno ardenti producit nigrum carbonem; sol lucidus producit nigredinem in corporibus Aethiopum; nam, secundum aliud effatum alibi explicatum, *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur*⁴. Insuper, illud monere est, quod docet s. Thomas, quod nempe « perfecta assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum⁵ ». Adhaec discrimen adnotandum est inter causas naturales, et voluntarias. Nam « res naturalis agit per formam suam, artifex autem per intellectum, et voluntatem ». Quare « quod est a causa naturaliter agente, retinet similitudinem eius, prout habet formam, similem formae agentis: quod autem est ab agente voluntario, retinet similitudinem eius, prout habet formam similem causae, secundum quod hoc producit in effectu, quod est in voluntatis dispositione, ut patet de artificiatio respectu artificis »; siquidem « artificiata simulantur artificii, in quantum in eis exprimitur forma artis, et ostenditur volun-

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 2 sol. Vid. p. 13, 76, 252, 297.

² Vid. *Actiones sunt a proportionem maioris inaequalitatis*, p. 33.

³ Vid. *Causae efficienti assimilatur effectus*, p. 75.

⁴ P. 305. — ⁵ I, q. L, a. 1 c.

tas artificis de eorum constitutione ¹ ». Denique, « licet Causa prima maxime influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur, et specificatur; et ideo eius similitudinem imitatur effectus ² ».

XVIII. SIMPLEX NON POTEST DIVIDI. Non potest quidem dividi in partes *essentiales* et *integrales*, at potest dividi in partes *subiectivas*, sive species, et inferiora. Genus enim generalissimum, etsi nec genus et differentiam, nec materiam et formam admittat, ideoque omnino sit simplex; tamen in species, quas sibi subiectas habet, distrahitur ³. Hinc intelligitur, quomodo explicandum sit illud aliud effatum:

XIX. SIMPLICIUS QUO ALIQUID EST, EO IN PLURIBUS INVENITUR. « Dicendum, inquit, s. Bonaventura, quod esse simplex est dupliciter; aut per privationem partium componentium in esse naturae, aut per privationem partium componentium in esse diffinito, sive in genere. Quando ergo dicitur, quod quanto aliquid simplicius, tanto in pluribus, hoc dicitur de simplicitate secundo modo, quam scilicet habet genus respectu speciei, et ideo in pluribus reperitur, quam species ⁴ ».

XX. SIMPLICIUS EST POTENTIUS. Scilicet, « quanto aliquid est magis simplex, tanto est maioris virtutis, et principium plurium . . ., sicut punctum plurium est principium, quam linea, et linea, quam superficies ⁵ ». Et sane « quanto aliquid est simplicius, tanto virtus est minus limitata; unde ad plura se extendit sua causalitas. Et ideo in lib. *De Causis*, prop. XVI, dicitur, quod omnis virtus unita plus est infinita, quam virtus multiplicata ⁶ ».

XXI. SINGULARE NON DEFINITUR. Non definitur quippe ratione suae naturae singularis, quatenus nempe est hoc, vel illud singulare. Ita Socrates ratione suae particularis

¹ *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 16 ad 5, et a. 17 ad 6. Potest etiam hoc effatum accipi, quatenus modus, quo agens operatur, debet esse similis ipsius naturae, de quo vid. p. 213.

² *Ibid.*, q. I, a. 4 ad 3. Cf p. 347.

³ Quatenam sint partes *essentiales*, *integrales*, *subiectivae*, explicatum est p. 251.

⁴ *In lib. II Sent.*, Dist. II, p. 2, a. II, q. 2 *ad arg.*

⁵ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 14.

⁶ *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 8 c.

naturae definiri non potest; definitione quidem perfecta, quae ex genere, et differentia constat. At illud, quod perfinet ad communem rationem singularitatis, idest hoc nomen *singulare*, quod omnibus individuis competit, definiri quidem potest ¹.

XXII. SPECIES QUAE LIBET GENERIS PERFECTIORIS NOBILIOR EST QUAVIS SPECIE GENERIS IMPERFECTIORIS. Sermo hic habetur de nobilitate, et perfectione *essentiale*, a qua rerum naturalis differentia proprie desumitur. Omnis enim species generis perfectioris partes habet metaphysicas essentialiter perfectiores, quam quaelibet species generis ignobilioris. Sic quodvis brutum, quia est animal, quod est genus perfectius, quam planta, nobilior est quavis perfectissima plantae specie.

Hoc axiomate refutantur propugnatores *aequivocarum*, seu *mediarum* specierum, per quas, secundum ipsos, minerale ad vegetabile, hoc ad animal, et animal ad hominem progreditur.

Quod si perfectio *accidentalis* et integrans spectetur, fieri potest, ut ens natura imperfectius, sit perfectius quoad accidens. Hinc versus:

*Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu praecellit, aranea tactu.*

Quod autem dicitur de speciebus, idem quoque iudicandum est de individuis. Hoc est, quodlibet individuum speciei perfectioris nobilior est quolibet individuum speciei imperfectioris. Quilibet enim homo nobilior est quolibet lapide, bruto, frutice, aliave quavis planta.

XXIII. SPECIES SUNT SICUT NUMERI ².

XXIV. SUBLATA CAUSA, TOLLITUR EFFECTUS. Hoc intelligendum est tantum de causa, a qua sola potest procedere effectus. E. g., sublata luce, dies non est. Quod si effectus ab hac, vel ab illa causa oriri potest, tunc sublata hac causa, effectus non tollitur. E. g., sublata pluvia, potest lapis madere. Et: POSITA CAUSA, PONITUR EFFECTUS. Nempe, posita causa necessaria cum requisitis conditionibus, sequitur effectus. Vel etiam, posita quacumque causa *actu secundo* efficiente, ponitur effectus, secundum

¹ Vid. s. Thom., I, q. XXIX, a. 1 ad 1.

² Vid. *Essentiae rerum sunt indivisibiles*, p. 118-119. *

illud iam explicatum: *Causa in actu simul est cum effectu in actu*¹. Vicissim: SUBLATO EFFECTU, AUFERTUR CAUSA, quod evidens ex se est; et: POSITO EFFECTU, PONITUR CAUSA. Ponitur nempe *determinate* haec vel illa causa, si effectus ab ea tantum oriatur: *indeterminate* vero, si effectus a diversis causis gigni possit.

Circa quae effata id monere par est. Scilicet, si agitur de effectu iam producto, tunc tollitur effectus, *si destruitur causa introducens, et conservans, non autem si destruitur causa tantum introducens*. E. g., ex eo, quod causa matrimonii est mutuus consensus, non sequitur ipsum dissolvi, desinente consensu. Nam « consensus vinculum illud introducit, non conservat, et ideo, ipso desinente, non desinit² ». Item, *non removetur effectus, permanente causa, et ideo, illo remoto, et haec removetur*. « Verum est de causa efficiente et conservante, non de efficiente tantum. Verum est etiam de existentia causae in ea dispositione, in qua producit effectum ». Quare, etsi baptismus *removeat ipsum originale peccatum ab homine*, non sequitur ut et *causam originalis peccati excludat ab ipso*, et ideo *baptizatus non transfundat in alterum originale peccatum*. Etenim neutro illorum modorum « remanet causa originalis, sive quia foeditas ipsa non est causa conservativa originalis, cum originale sit in anima separata, sive quia non remanet in ea dispositione, et intensione, secundum quam anima ex ipsa contrahit originale³ ».

XXV. SUBLATA PARTE INTEGRANTE, TOLLITUR TOTUM. Idest tollitur totum, quatenus totum *integrans* est, sed essentia non tollitur. E. g., abscisso brachio, non manet amplius totus et integer homo: sed manet adhuc homo. Effati autem ratio est, quia partes sunt causa totius. « Partes componentes, inquit s. Thomas, causant esse totius⁴ ».

XXVI. SUBLATO ACTU, NON TOLLITUR POTENTIA; Et: POSITO ACTU, TOLLITUR POTENTIA⁵.

¹ P. 73.

² S. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XXVII, a. III, q. 1 *ad arg.* Et alibi: « Est causa inducens, sed tamen non efficiens, nec conservans, et, hac cessante, non cessat effectus, sicut patet manifeste »; *In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. 1, a. I, q. 2 *ad arg.* vid. p. 73-74.

³ S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXII, a. I, q. 2 *ad arg.*

⁴ *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 3 *sol.*—⁵ Vid. p. 39.

XXVII. SUBLATO UNIVERSALI, TOLLUNTUR PARTICULARIA. Si enim non est animal, certe nec homo, nec equus, nec alia species animalis futura est. POSITO autem UNIVERSALI PONITUR ALIQUA EIUS PARS SUBIECTA¹.

XXVIII. SUBSTANTIA EST HOC ALIQUID. Scilicet substantiae sunt aliquid per se subsistens, et substantive exprimuntur, secus ac accidentia, quae solum significant *quale*, et exprimuntur *adjective*: « In alio esse, sicut accidens in subiecto, tollit rationem eius, quod est hoc aliquid² ». Id autem intelligendum est *principaliter* de substantia *prima*; haec enim revera subsistit, et *minus principaliter* de substantia *secunda*, quia haec *ratione* tantum subsistit: « Primae substantiae indubitanter hoc aliquid significant, secundae vero substantiae etsi videantur hoc aliquid significare, magis tamen significant quale quid³ ». Patet etiam substantias *incompletas*, quae per se non subsistunt, non esse *hoc aliquid*. Anima autem humana, etsi sit forma corporis, ac proinde substantia incompleta, ita ut *sine corpore non pertingat ad complementum suae speciei*, tamen est *hoc aliquid*, quia *non sic dependet a corpore, quin sine corpore esse possit*⁴. Est itaque anima humana « hoc aliquid, ut potens per se subsistere, non quasi habens in se completam speciem, sed quasi perficiens speciem humanam ut forma corporis; et sic similiter est forma, et hoc aliquid⁵ ».

XXIX. SUBSTANTIA NON EST IN SUBIECTO. Non est quidem in subiecto *inhaesionis*. Substantia enim differt ab accidente in hoc, quod alteri non inhaeret. Hoc modo neque *prima*, neque *secunda* substantia est in subiecto. At potest substantia esse in subiecto *praedicationis*. Sic enim substantia *secunda*, seu universalis, est in *prima*, seu in singulari, de qua ut latius de angustiori, vel superius de inferiori essentialiter praedicatur⁶.

XXX. SUBSTANTIA NON HABET CONTRARIUM. Idest, substantia non potest esse alteri substantiae contraria. Porro hoc intelligendum est de substantia per se, et respectu sui, idest, ut substantia est. Contrariorum enim ea ratio et natura est, ut se expellant a subiecto⁷. At nulla sub-

¹ Vid. p. 279.—² *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 1 ad 9.

³ *Ibid.* c.—⁴ *Ibid.* ad 12.

⁵ *Ibid.* c. Vid. p. 307.—⁶ Vid. p. 340.—⁷ Vid. p. 83.

stantia, quemadmodum paulo ante diximus, est in subiecto. Substantiae igitur sibi invicem contrariae esse non possunt. Secus vero res se habet, si substantia spectetur, prout qualitatibus subiacet. Nam nihil vetat, quominus propter pugnantibus qualitates una substantia alteri dicatur esse contraria. Sic ignis contrarius est aquae, non quae substantia est, sed quae calidus, et siccus ¹.

XXXI. SUBSTANTIA NON SUSCIPIT MAGIS ET MINUS. Licet enim quaedam substantiae sint aliis digniores, ut homines brutis, tamen in eo, quod sunt substantiae, non est una magis substantia, quam alia; neque eadem substantia, si conferatur cum seipsa, est magis, vel minus substantia. Hinc homo, si conferatur cum equo in eo, quod est substantia, non potest dici magis substantia, quam equus; neque vir adultus magis est substantia, quam infans ². Item, una substantia potest esse magis substantia, quam alia, ratione eorum, quae substantiis, non quatenus sunt substantiae, sed *per accidens* conveniunt; e. g., quatenus una est singularis, alia universalis, una ad primas propius accedit, alia longius ab iis abest; sed in ratione naturae et essentiae, nulla una substantia magis est substantia, quam alia ³. Ratio autem huius effati perspicitur ex eo, quod substantia, immo quaelibet essentia habet esse indivisibile, et in puncto constitutum, ideoque gradibus destituitur, quorum respectu *magis et minus* dicitur. Unde essentiae rerum dicuntur esse instar numerorum, quibus nihil addi, aut detrahi potest, sine mutatione speciei ⁴. Ex hoc sequitur etiam, ut nulla *forma substantialis* recipiat *magis et minus*. Nam, « superadditio maioris perfectionis facit aliam speciem, sicut additio unitatis facit aliam speciem in numeris. Non est autem possibile, ut una, et eadem forma numero sit diversarum specierum ⁵ ». Unde in formis « per hoc, quod una per-

¹ « Substantiae quippe non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua et ignis, dicuntur sibi esse contrariae »; s. Aug., *De nat. et grat.*, c. 54, n. 63.

² Vid. s. Thom., I, q. LXXVI, a. 4 ad 4; et q. XCIII, a. 3 ad 3.

³ « Eadem et in hoc, et in illo substantiae ratio est »; s. Greg. Nyss., *Contr. Eunom.*, lib. I.

⁴ Vid. p. 118-119.

⁵ I, q. CXVIII, a. 2 ad 2.

fectior existit, quam alia ¹ », differentia invenitur. Illud autem patet, quod s. Bonaventura monet, quod nempe, « quamvis forma substantialis secundum se non recipiat magis, et minus, habet tamen intendi et remitti secundum esse ipsius in materia ² ».

XXXII. SUBSTANTIA EADEM NUMERO MANENS EST SUBIECTUM CONTRARIORUM. Substantiae nempe maxime proprium est, ut una eademque permanens suscipiat contrarias qualitates, non quidem ita ut simul actu eas in se habeat, sed per vices. E. g., eadem manus modo frigida, modo calida est, et idem homo, qui nunc aeger est, potest esse sanus, et qui nunc sanus est, aeger iterum esse poterit. In quo effato saepe inculcat Aristoteles illa verba: *eadem numero permanens*, contra illos qui docebant singulares substantias omnino non esse, ob perpetuas mutationes ex contrariis ortas. Iam vero non omnis substantia contrariorum est capax; sed quae mutabiles sunt. Neque quaevis substantia admittit quaelibet contraria, sed tantum ea quae cum substantiae natura non pugnant, nec eius proprietates essentiales evertunt. Sic in igne nunquam inest frigiditas: item nec fel dulcedinem, neque nix atrorem suscipit.

XXXIII. SUBSTANTIA UNIVOCE PRAEDICATUR DE INFERIORIBUS. Convenit enim unicuique secundum unam eandemque rationem. Inde probatur substantiam non posse esse genus, in quo Deus, et creatura conveniunt ³. Haec proprietas non cadit nisi in substantiam secundam; nam prima, cum sit singularis, ideoque inferius se nihil agnoscat, de subiecto *praedicatione ordinata* dici non poterit ⁴.

XXXIV. SUPERIORA IN ENTIBUS SUNT PERFECTIORA INFERIORIBUS. Scilicet entia superiora, illa nempe, quae sunt propinquiora et similia Enti *per essentiam*, seu Deo, plura et perfectius participant ex bonitate Divina. Hinc ea, quae in inferioribus continentur *deficienter partialiter et multipliciter*, in superioribus continentur *eminenter*, et *per quamdam totalitatem et simplicitatem* ⁵.

¹ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 97. Vid. p. 207.

² *In lib. II Sent.*, Dist. XIII, a. II, q. 2 ad arg.

³ Vid. p. 14.

⁴ Quid sit praedictio *ordinata*, vid. p. 267.

⁵ I, q. LVII, a. 1 c.

XXXV. SUPERIORIS NATURAE GRADUM INFERIOR APPETERE NON POTEST. Hoc effatum ita a Thoma perbelle evincitur: « Est unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum; sicut asinus non appetit esse equus; quia si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsum non esset ¹ ».

XXVI. SUPERIUS NON PATITUR AB INFERIORI. « Habet veritatem in his, inter quae non est naturalis colligantia »; quare haud inde colligi potest animam non posse pati a corpore, « cum naturalis colligantia sit animae ad corpus ² ».

XXXVII. SUPREMUM INFIMI ATTINGIT INFIMUM SUPREMI: *vel*, INFIMUM SUPREMI ATTINGIT SUPREMUM INFIMI. Hoc effatum ita explicatur: In duabus entium seriebus, quarum altera est superior, altera inferior, atque unaquaeque continet entia, quae certum includunt ordinem, illud ens, quod supremum est in serie inferiori, proximum est enti, quod infimum est in serie superiori: « Inferior natura in suo summo attingit ad aliquid infimum superioris naturae ³ ». Et vicissim, illud ens, quod infimum est in serie superiori, proximum est enti, quod supremum est in serie inferiori. E. g., homo, qui supremum obtinet gradum inter creaturas sublunares, est infimus inter creaturas supernas; et infimum inter bruta animantia est proximum supremo inter vegetabilia. Qua in re monet s. Thomas, « illud, quod est superioris naturae, non posse esse in inferiori natura perfecte, sed per quamdam tenuem participationem; sicut in natura sensitiva non est ratio, sed aliqua participatio rationis, in quantum bruta habent quamdam prudentiam naturalem ⁴ ».

¹ I, q. LXIII, a. 3 c.

² S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXI, a. II, q. 2 ad arg.

³ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XV, a. 1 c.

⁴ *Ibid.*

T

DISTINCTIONES

I. TACTUS QUANTITATIS—VIRTUTIS. *Tactus quantitatis* est ille, quo unum coniungitur cum altero, ita ut eorum partes sibi invicem adhaereant. *Tactus virtutis* est ille, quo aliquid in aliud operatur. « Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore. Secundo modo corpus potest tangi a re incorporea, quae movet corpus ¹ ».

II. TEMPUS—AEVUM—AETERNITAS. *Tempus* est mensura durationis rei omnino variabilis, seu metitur res corruptibiles, quae in perpetuo fluxu sunt. *Aeternitas* est mensura durationis rei omnino invariabilis, et secundum substantiam, et secundum durationem. *Aevum* medio modo se habet, nam est mensura esse invariabilis, quod tamen variationem secundum operationem admittit. Qua in re haec duo monere par est: 1° Etsi aeternitas Dei sit *duratio*, quatenus duratio secundum sui rationem permanentiam in *esse*, ac proinde aliquam perfectionem significat; tamen potius nomen *possessionis*, quam *durationis* in eius definitione adhibetur, in qua, secundum Boëtium, dicitur esse, *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio*. Nam « duratio dicit quamdam distensionem ex ratione nominis; et quia in Divino *Esse* non debet intelligi aliqua talis distensio, ideo Boëtius non posuit durationem, sed possessionem, metaphysice loquendo ad significandum quietem Divini *Esse*; illud enim dicimur possidere, quod quiete et plene habemus; et sic Deus possidere vitam suam dicitur, quia nulla inquietudine molestatur ² ». 2° Aeternitas Dei tamquam realis mensura *Esse* Divini habenda non est, tum quia Deus non est realiter mensuratus, tum quia realis mensura realem distinctionem inter mensuram, et mensuratum assumit, quae profecto inter aeternitatem, et *Esse* Dei non existit ³. Quocirca ratio mensurae convenit aeternitati secundum ap-

¹ I, q. LXXV, a. 1 ad 3.

² *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. II, a. 1 ad 6.

³ *Ibid.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 4.